



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Exercet sese salutariter in monte. iter facit ægrotans. cap. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

mit; vbi nostram sanctæ Mariæ ecclesiam tribus cum altaribus cum dedicasset, xvij. Cal. Iulij; in collegio, quod semper, vt opus suum, amaue- rat, mira quadã abiectione solus man- sit; ad Nouitios rogatus a nobis, ver- ba fecit amantissime, de perfectæ vi- tæ institutis. At vero libenter alioqui per id tempus frequentiam fugiebat; & in remotiora loca discedebat, ne- gotiorum se molestiis subtrahens; vt sacris studiis, diuinisque contempla- tionibus vacaret. quod gubernationis, actionisque omnis iam iam depo- nenda, diuinæq; contemplationis in- tegre suscipiendæ, omne quoddam vi- deri posset. Sed Mediolanum tum ad præcipua festorum solemnia redijt, vt solebat semper; tum ad consecra- tionem primo Albensis, deinde Alex- andrini Episcopi electi. nam & ipse sacris eiusmodi officiis delectabatur; & pii viri sibi a tanto Antistite manus imponi cupiebant; a quo præterea di- scedebant optimis ecclesiasticæ disci- plinæ præceptis locupletati. Atque Octauium Parauicinum Alexandri- num, nunc Cardinalem cum conse- crasset; eduxit etiam secum ad eccle- siarum lustrandarum munus. nam, & ipse optima noui Episcopi voluntate, virtuteque delectabatur; & ille anti- quam religionem magni, & episcopa- li munere diu gloriose perfuncti An- tistitis, singulariter obseruabat.

Exeret fe-
se in monte
salutariter.
iter facit æ-
grotans.
CAP. VII.

Celebraturus erat sacra, quæ dici- mus, Septembris mēsis tempora; cum accepit, Franciscum Bossium Noua- riæ Episcopum ita ægrotare, vt mor- ti propinquus iudicaretur. iusserat au- tem ille Carolum certio rem fieri, & suo nomine tantummodo postulari, vt sibi benediceret morituro. Caro- lus autem statum illius temporis ordi- nationum munus Francisco Cittadi- no Episcopo cum mandasset; paucis horis post nuncium allatum moratus, nocte ipsa Nouariam contendit, quæ triginta passuum millia Mediolano di-

stat. mortuum Episcopum inuenit; consueta pietatis suffragia tribuit; in concione populum cohortatus est; quæ tali tempore conueniebat. eccle- siæ ministros monuit, quid facerent, dum Episcopus a Pontifice daretur. Nouaria Guido Cardinalis Vercellen- sis, eum ad Messerani Marchionem communem cognatum adduxit; vt in mortifero morbo hominem consola- retur, & iuaret; quod vtiliter admo- dum effecit: nam Marchio sacramen- to pœnitentiæ expiatus, & Euchari- stia sanctissima munitus, pie mortem obiit. Vercellis aliquot dies fuit; vbi in componendis illius ecclesiæ rebus, cū Episcopus apud Imperatorem Sc- dis Apostolicæ nuncius abesset, versa- tus est. Constituerat eo tempore sese diutius salutariter colligere; quibus in rebus a multis mensibus peccasset, & suis defuisset officiis, attente perui- dere; errata confiteri; veniamque a Deo postulare: tum per diuinas etiam contemplationes ad pietatem, vitæq; sanctitatem acrius sese incitare: & ad negotia præterea, quæ tum illi erant in manibus, pie, & feliciter gerenda, diuinam opem enixe implorare. qui- bus rebus solitudine opus erat. Eius- modi exercitatio cum aliàs ei cordi esset vehementer; tum eo tempore erat optatissima, ob mentem magis, quàm antea diuinarum cōtemplatio- num cupidam; earum præsertim, quæ de cruciatibus, morteque Christi Do- mini essent: quas per ea tempora stu- diosissime, ardentiq; animo frequen- ter tractabat; articulatum ordinabat; litterisq; mandabat. qua quidem men- te, studiisque clementissimus Deus, id quod demum post factum clarius apparuit; sacerdotem suum iam iam ex hac vita migraturū ad æterna præ- mia præparare videbatur. Varallum vbi alias simili de causa fuerat, tunc etiam ad eam rem delegit. vico id no- men est, qui Nouaria, & Vercellis æquo spatio distat, ad passuum millia

cir-

circiter vigintiquinque; ibi mos, quoniam fere sub alpihus est locus, ex piorum hominum, etiam longinquo ru vocis, & omnino religionis causa frequenter visitur. nam religiosus vir ordinis minorum, ex Mediolanensi nobili familia Caima ante annos fere centum: cum ex Iudaea, sanctissimo Christi Domini sepulchro religiose inspecto, redisset; eius imaginem aliquo loco ponere constituit; quae pijs hominibus, cum Iudeam petere non possent, ad pietatem, venerationemque; erga sepulchrum, sanctaque Hierosolymae loca exercendam, aliquo modo valeret. ac eo loco, monteque; delecto: ecclesiam monasteriumque sui ordinis piorum hominum sumptu aedificauit: & sepulchri speciem decore collocauit. ea res adeo feliciter euenit; ut locus maxime celebris euaserit; & varijs temporibus aediculae multae fuerint constructae; ubi pulchris imaginibus, ac statuis, ea in primis referuntur, quae in affligendo, morteque afficiendo Salvatore, acta sunt; tum aliae quoque res ex diuinis historijs ad nostram salutem pertinentes. Ita iam in summo monte, quasi facer quidam vicus plurimarum aedium factus est; quas ordine, certisque vijs frequentes peregrini salutaribus cogitationibus, supplicationibusque intenti adeant, & religiose contemplantur. Eo se Carolus igitur conferre statuit, & ob eam rem Fraciscum Adornum accersiuit: quem piarum exercitationum adhiberet adiutorem. Sed ante misit Dux Sabaudiae Vercellas, qui illum eius nomine rogatum Taurinum adducerent, officium Duci Carolus, ut charissimo filio non negauit; quod vel sponte libenter suscepisset, ad sacrosanctam Sindonem postremo visendam, & venerandam. Dux vero magnum coepit, si vnumquam antea, Caroli praesentiae, consiliorumque fructum: visusque est maxime ad pietatem commo-

Pars III.

ueri; & eundem etiam in discessu prosequi lachrymis. Ad montem cum venisset; monasterij cellula, in qua moraretur, electa; ibi corpus incommodum admodum, & seuerè tractare coepit. in ligneis tabulis somnum capiebat lodice tantum intratis. consueto utebatur panis, & aquae alimento. durius, quam antea corpus flagellabat; id quod ex interula deinde, flagellisque sanguine aspersis apparuit; licet ipse studiose occultasset. sacrae confessioni parandae, sacraeque meditationi sese dedit. ad hanc meditandi exercitationem suos admisit, quamquam spatij, occupationisque longe minoris: sed distincta ad meditandum rerum capita quotidie tradebantur: quibus cogitandis, & contemplantis, certis diei, noctisque horis, ea se quisque aedacula, & coram ijs imaginibus exerceret; quae ad animi sui fructum sentiret aptiora. certum item tempus constitutum erat, quo simul conuenientes inter se, quae animo senserant, quaeque erant meditati communicabant. Carolus primis diebus sex horas, partim diurnas, partim nocturnas sibi finierat; quibus horis contemplationi, praecibusque vacaret, reliquum tempus confessioni dabat; tum necessitati quoque corporis, quam angustissime tamen circumscriptae; & si quid negotij esset, quod non posset omitti. Iucunda prorsus species, & pietate plenissima. conspiciebatur nocte amplissimus Antistes, nullo comite, paruulam laternam sub pallio tenens, per vias illas summi montis, petere quam sibi iudicasset, opportuniorem aediculam; ut in ea quem admodum sibi praescripserat, sese exerceret. quarto ab aduentu die peccata sua confessus est, tanta pietate, dolore, ac lachrymis; ut qui confessionem audiebat, itidem in fletum adduceretur. postero die, tantis exercitationibus tam beatè occupatus, non neglexit officium tamen; neque recu-

LI lauit

fauit Aronam ad Cardinalem Ver-
cellensē venire: sed prius nocte pro-
xima, circiter octo horas cōtemplan-
do, Deumque orando, in diuinis re-
bus ita mansit; vt flexis genibus, tan-
to spatio, nulla corporis parte cui-
quam rei inniteretur: quin etiam ad
extremū, eum subaccusare visus est,
qui horologium curabat, quasi tem-
pus studiose contraxisset. Post diem
reuerfus, in suam se retulit solitudi-
nem. quo loco, & ex ijs quæ cū alijs
cōferebat, & ex alijs sermonibus, in-
dicijsq; perspexerūt, & Pater, & alijs
eum minime v̄sitata, prorsusq; singu-
lari ratione diuinitus commotum, &
eo præsertim lumine illustratum, ea-
que mente confirmatum, quæ rebus
humanis, vitaque ipsa omnino post-
habita, Deum solum petit; eique in-
tima voluntate, totaque mente peni-
tus coniungitur. quibus rebus nihil
ad propinquam mortem erat accom-
modatius: maxime, si delectationem
addas, quam ex sermonibus, medita-
tionibusque de morte; & sepultura
Domini; & ex eius sepulchri imagi-
ne in primis visenda, contemplanda-
que capiebat. cui rei satis consensit
etiam sacra Sindon visa prius, & cul-
ta; tum duo principes viri, Episco-
pus, & Marchio extremis sacra-
mentorum, funerumque officijs adiu-
ti. Non multos in monte manserat
dies, eū in febrim incidit: cuius impe-
tus cū tulisset tantus; eaq; tertio die
redijisset; Patri demū significauit. id-
que fere præter consuetudinem: nā
alias etiam quinquies reuersam ne-
mini indicauit: veniſi obiter postea
quandoq; alicui significasset, id rescī-
uisset nemo. Adductus est a Patre, vt
asperitatē corporis nonnihil minue-
ret: quamquam quid fuit tandem,
palearum aliquid, in quibus cubaret
recipere, & in aqua coctum panem,
nullo tamen condimento, admitte-
re? mentis item exercitationes ali-
quo modo moderatus est: ita vt ali-

quid temporis alijs quibusdam con-
sultationibus daret; præsertim de æ-
diculis illis melius disponendis. Fe-
bris autem inuasit eū tertio: ac quan-
tū corpori firmitudinis decedebat,
tantum animo diuini luminis, cœle-
stisque virtutis accedere videbatur.
Triduo tantum aberat sanctorū om-
nium cultu insignis dies; quem Caro-
lus de more cum populo suo Medio-
lani, consuetis munerum functioni-
bus, agere studebat. erat ei quoque
negotium ab Apostolica Sede māda-
tum, de collegio ex testamento pij
viri in vico Ascona instituendo; vbi
pueri pietate erudirentur, & literis;
cuius negotij causa ad locum ipsum
eundum erat: neque id sine magno
damno differri poterat. Dum igitur
hiscē de causis a monte discederet;
ita rursus sese in locum Dominici se-
pulchri abdidit; vt comites, cum fe-
re descendissent, tum demum Caro-
lum deesse animaduertentes, in eo
loco inuenerint. Aronam eo die veni-
nit montosa, difficilique via millia-
rium decem & octo. Ibi studio cele-
ritatis tertia noctis hora nauem con-
scendit; vt per Verbanum lacū Asco-
nam contenderet, quæ aberat ad mil-
lia passuū circiter triginta quattuor.
In quo itinere plurima fecit, & locu-
tus est; quæ tum sanctitatis officia,
tum proxima mortis indicia cumu-
larent; & ideo minime videantur præ-
termittenda. hæc plerique agunt,
dum in lecto iacent: de humanarum
rerum despicientia; de bestæ vitæ
desiderio loquuntur; suis salutaria
præcepta tradunt. Sed Carolus, qui
in laboribus assidue vixerat; pro
quiete, semper laborem elegerat;
suam etiam in morte præstitit con-
suetudinem; suamque itinere facien-
do; incommodisque, & laboribus to-
lerandis, agrotationem traduxit. phi-
losophabatur de animo sic in hac vi-
ta conformando; vt humana omnia,
præ ijs, quæ Dei sūt, pro nihilo pro-
suis

sus habeat. oportere hominem sese
 omni tempore ita expeditum præsta-
 re: vt Dei nutu prompto animo sem-
 per ex hac vita possit demigrare. ip-
 sas etiam Dei causa susceptas res,
 quæ quidem quandiu tempus datur,
 omni diligentia, studioque agenda
 sunt; ita tamen esse curandas; vt, ijs li-
 cet imperfectis, nihil animo tamen
 afferatur impedimenti, vel moræ;
 quin liber hinc, omninoque solutus
 euolet. plures ecclesiæ suæ re exem-
 plo proponebat; quas licet valde vti-
 les, ac necessarias; & magno item a
 se studio, laboreq; ad id tempus cu-
 ratas; nullo modo tamen adeo vale-
 re æquum erat; vt si vita deceden-
 dum esset; animum quidquam mora-
 rentur; quin ad Dei voluntatem exe-
 quendam prorsus expedite sese con-
 uerteret, ac hilariter, atque vt, quod
 sermones eius spectarent clarius ap-
 pareret: breuè cognatorum suorum
 vitam rursus in ore habebat; & Gi-
 berti patris, qui eadem, qua tunc ipse
 erat ætate, vita cessisset, mentionem
 repetebat, quæ quamuis ille frequen-
 ter loqueretur; de eius tamen impê-
 dente morte, tunc quidem nemo sus-
 picabatur. Cum Arona quemadmo-
 dum modo dicebam, soluisset; in ge-
 nua procubuit; & cum suis statas iti-
 peris preces habuit, addidit psalmos
 nonnullos, vt mortuis suffragaretur.
 tum conuersus ad nautas; omittitis
 ne precari, inquit, fratres cum solui-
 tis? at mihi hoc dabitur posthac, vt
 dominicam Orationem, salutatio-
 nem Angelicam, symbolum Aposto-
 lorum pie & semper recitetis. cuius
 consuetudinis initium tunc faciens,
 vna cum illis mira humanitate, ad
 verbum ea pronunciauit. mox saluta-
 ri sermone omnes, qui aderant, fru-
 ctuose cohortatus; in culcitra recu-
 buit vestitus ad nonam noctis ho-
 ram. tum surrexit nocturnasque sta-
 tas preces obiit vna cum suis, geni-
 bus more suo nixus. mète deinde pre-

cari non destitit, donec hora duo-
 decima Canobiû appelleret, eo loco
 sacrum facturus. In Præpositi illius
 ecclesiæ ædibus permansit, Deum o-
 rans, donec illuxisset. tum re diuina
 confecta; valetudinarioque cibo, si-
 cuti vesperi, sumpto; nauem conscē-
 dit; Alconam, quæ circiter millia pas-
 suum decem distabat, venit: eodem
 die negotium confecit ad quod ve-
 nerat; nauigationemque repetijt.
 Constituerat postero die, qui om-
 nium Sanctorum festum antecede-
 bat, Mediolanum peruenire. sed cum
 Alconæ quartam febris accessionem
 sensisset, Canobij subsedit eo die ne-
 cessario. recubuit primò sine culci-
 tra, atq; adeo sine palea: mox familia-
 rium rogatu, vique morbi adductus,
 sese in culcitra collocauit, morbo af-
 flictus Capucinos iussit accersiri, quo-
 rum pijs verbis, consolationeq; sub-
 leuaretur; quos de sancti Francisci e-
 xēplis, rebusq; celestibus aliquid in-
 cipiētes, subsequēbatur ipse fufius,
 diuinaq; multa proferebat. quibus ex
 sermonibus in Pij Quinti mentionē
 delapsus, eius pontificis plurimas lau-
 des diu, suauiterq; percēssit. cū nox
 esset, ipseq; sibi integer videretur; cō-
 sulto medico Aronam ea nocte saltē
 proficisci volebat, Orant autem fa-
 miliares Octavianus Forerius cano-
 nicus Med. in primis; sibi parcat; præ-
 terita nocte breui spatio quieuisse;
 magnum periculum esse, ne tanto in-
 commodo morbus ingrauesceret;
 præsertim si Mediolani ad proximā
 celebritatem adesse conaretur. omni-
 no verisimile non fieri, vt vires ad so-
 lemnes sacrorum munerum functio-
 nes obeundas suppeterent. eorum vi-
 ctus precibus, ea nocte cōmode quie-
 uit. mane autem post statas preces, sa-
 crificiumque, Aronam petit, omisso
 cibo, quoniam erat ieiunij dies, neq;
 inualetudinis excusationē sibi vten-
 dū putabat. In nauī genua ponit, pre-
 cationem iter facienti præscripta, &

litaniam, primo quidam Ambrosiano ritu cum suis; deinde aliam Romano more cum nautis habet; quod in Aronenses erant, ubi ritus est Romanus. postea sedens sacrum sermonem de celebri festo illo instituit. quo habito, distinctas quasdam conceptiones auditoribus tradidit, in quarum meditatione, contemplationeque taciti versarentur. Id cum horæ spatio factum esset, singillatim interrogauit, quid cogitassent. Deinde negotijs operam dedit: Forerium in Melfaucos dimisit, ut ibi de salute multorum ageret: & per homines recte sentientes; quæ de Calendario Gregoriano, proximis Rhætorum comitijs recipiendo, posset, diligenter curaret. tū litteris, & supplicibus libellis perlegēdis sese dedit: etenim si Rhæticū excipias, negotijs fere superioribus diebus abstinerat, ne animæ exercitationes, & fructus impedirentur. In conspectum Aronæ cum venisset, litaniam repetijt. in oppido mansit in ædibus sodalitatæ I E S V. Renato Comiti se excusauit; quod ægrotus apud religiosos viros rectius esset; ubi si quid accideret, propiora esset salutis adiumenta. Ibi igitur relictis tenuiter pro ægroti modo viribus, ut superioribus diebus fecerat, in lecto quieuit ad septimam noctis horam. mox cum surrexisset, tum diuinis contemplationibus, tum itatis nocturnis precepcionibus operam dedit, vsque ad lucem. Missæ sacrum ad omnium sanctorum cultum fecit: in eo non solum nouitiæ domus illius iuuentuti, sed alijs incolis multis, qui conuenerant, sacrosanctam Eucharistiam præbuit. tum sese in lectum retulit quintò febrim expectās, quæ quidem grauior fuit; quàm solebat. atq; cum ex medicorum præcepto febrili consistente, aquam cum hordeo coctam, calidam sumpsisset; moxque somno se dedisset; acrius inflamatus, adeo laborare cœpit, ut numquam

postea integrum corpus habuerit. nihilominus postero die mane, quo mortuorum suffragia celebrantur, in uitatus nauigandi commoditate, Mediolanum petere constituit. itaque stas quidem horarum preces obit; Missæ autem, quoniam tum demum facere nullo modo poterat, in ecclesia interest: lectoque in nauis parato; lacu, mox Ticino flumine, indeque aquæductu, Mediolanum eodie vehitur.

Ibi medicis statim accersitis, sese curandum tradidit. altare in cubiculo collocari, sepulturæ Domini imaginem apponi; eiusque similem super conopei fulcra statui iussit; ut quotiescumque oculos tolleret, eam posset contemplari. aliam non dissimilem, Domini precantis, sanguineumque sudorem cum morti appropinquaret, effluentis, eisdem fulcris appendi mandauit, quam directo videret obtutu: ut priora illa signa continuari facile quisque cognosceret. quamquam eiusmodi imagines, quotiescumque ægrotaret, ad solatium suum requirebat. Mane cum adhuc horarias preces, quemadmodum ad id tempus religiose fecerat, recitare vellet; Patris Adorni suafu, satis habuit alium recitantem audire. cupiebat item, si febris remitteret, in sacellum se conferre, ibique sanctissimum recipere sacramentum; alioqui saltem ad altare cubiculi sui: sed neutrum licuit. cumque Pater suaderet, ut in cubiculo Missæ fieri pateretur, non consentit, ne quis forte sequi vellet exemplum. Post meridiem febris increfcere, sextaque accessio obscure fieri ita cœpit, ut somnum quendam videretur inducere. Audieram eum quandoque narrantem de Egidio Murinensi Episcopo, quem plurimi fecerat: cum mors immineret: quiescētī sese, ac penè dormienti similem præstitisse: qui cum sapius in terpellaretur, finite me, inquit, tandem

Obitus.
CAP. VIII.